Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26897
Copyright: Admont, Benediktinerstift

morum quasi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines posteri-
ora atque inferiora potius sectantes quam illud quod esse melius atque
prestantius confitentur. Quapropter cum illa veritate perfruendum sit que in-
commutabiliter vivit, et in ea trinitas deus auctor et conditor uni-
versitatis rebus quas condidit consulat. purgandus est animus ut et
perspicere illam lucem valeat et inherere perspecte. Quam purgatio-
nem quasi ambulationem quandam et quasi navigationem ad patriam esse
arbitremur. Non enim ad eum qui ubique presens est locis movemur. sed
bono studio bonisque moribus. Quod non possemus. nisi ipsa sapien-
tia tante etiam nostre infirmitati congruere dignaretur. et vivendi no-
bis preberet exemplum non aliter quam in homine. quoniam et nos homines
sumus. Sed quoniam nos cum ad illam venimus sapienter facimus. ipsa cum
ad nos venit ab hominibus superbis quasi stulte fecisse putata est.
Et quoniam nos cum ad illam venimus convalescimus. ipsa quoque cum ad
nos venit quasi infirma existimata est. Sed quod stultum dei est.
fortius est hominibus. Cum ergo ipsa sit patria viam se quoque nobis fecit ad patriam.
et cum sano et puro interiori oculo ubique sit presens eorum qui oculum
illum infirmum immundumque habent oculis et carneis apparere
dignata est. Quia enim in sapientia dei non poterat mundus per sapientiam
cognoscere deum. placuit deo per stultitiam predicationis salvos
facere credentes. Non ergo per locorum spacia veniendo sed in carne
mortali mortalibus apparendo venisse ad nos dicitur. Illuc
ergo venit ubi erat quia in hoc mundo erat et mundus per ipsum factus
est. Sed quoniam cupiditate fruendi pro ipso creatore creaturam ho-
mines conformati huic mundo et mundi nomine congruentis-
sime vocati non eum cognoverunt. propterea dixit euangelista. Et mun-
dus eum non cognovit. Itaque in sapientia dei non poterat mundus
per sapientiam cognoscere deum. Cur ergo venit cum hic esset. nisi quia placuit
deo per stultitiam predicationis salvos facere credentes. Quomodo ve-
nit. nisi quod verbum caro factum est et habitavit in nobis. Sicuti cum
loquimur ut id quod animo gerimus in audientis animum per